

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



56
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO XXIII.

continens
ANTIΘΕΣIN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie,

De CHRISTO supremo capite.

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

GEORGIO ENGELHARTO Guntzen-
husano Franco.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem Sept.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.
ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM
In Augustiniana Collegio

Distinctione
D. O. Compendio
L. A. T. I. C. A. R. T. I. C. I. V. M. I. N. I.
Compendio

Doctores

DOCTORES
L. I. C. E. N. S. I. O. S. I. M. O. N. I. C. I. A. S.
L. I. C. E. N. S. I. O. S. I. M. O. N. I. C. I. A. S.
L. I. C. E. N. S. I. O. S. I. M. O. N. I. C. I. A. S.
L. I. C. E. N. S. I. O. S. I. M. O. N. I. C. I. A. S.

JACOBO MARTINI S. S. Th.
Doct. & Prof. Publ. in theol. Facult. Theol.
Scholae in Theologiae Facultate

GEORGIO
L. I. C. E. N. S. I. O. S. I. M. O. N. I. C. I. A. S.
L. I. C. E. N. S. I. O. S. I. M. O. N. I. C. I. A. S.
L. I. C. E. N. S. I. O. S. I. M. O. N. I. C. I. A. S.
L. I. C. E. N. S. I. O. S. I. M. O. N. I. C. I. A. S.

Typis
Anno M. DC. LXX.





D. O. M. A.

Continuatio.



Corpore Ecclesiae transit Becanus ad caput. Bene. Quia enim hoc cum illo arctissime cohaeret, imò ipsi succum & sanguinem, omnemque vitam largitur & impertit, colligere, & intelligere est; quod, ut corpus vivum sine capite, neque bene esse, neque omnino esse quit; ita neque illius consideratio, sine conjuncta hujus *sempiterna* perfecta esse possit. Quare adversarii vestigia prementes, quid de ipso proponat, & nobis opponat, cum Deo, disputationibus aliquot subsequentibus considerabimus, examinabimus, & pro re nata refutabimus.

T H E S I S I.

Initio autem notandum est, quod rota haec disputatio à Becano potissimum sit directa contra *Marcum Antonium de Dominis*: qui nunquam fuit verus Lutheranus, ut de ipso statuere videtur Becanus. Is enim postquam venit in Angliam, (quo sine, an ut Regem ad Idolomaniam Papisticam alliceret, an alia de causa, latet) errores Pontificios detestatus abiecit, & Anglicanam, hoc est, Calvinianam, Religionem amplexus & confessus est, multaque contra Papistas scripsit, quae publice prostant. Postea verò facti poenitens, Angliam reliquit, Ita-

A 2

liam.

nam repetiit, & Romam venit, apud Pontificem veniam defectionis suæ supplex petiit & impetravit; post scripta sua revocavit, & tandem in Pontificiâ religione (ut opinio erat) mortuus & more Pontificio sepultus est. Post mortem lustratâ ejus bibliothecâ, inventæ sunt literæ à Calvinianis perscriptæ, ipsum *ἠποκρίσεως*, & simulatæ & hypocriticæ pœnitentiæ ac revocationis insimulantes & convincentes. Eapropter ejus cadaver effossum & publicè combustum est. Hæc præmittenda duxi, ut constet, quis fuerit hic *Marcus Antonius de Dominis*, nimirum, uti diximus, nequaquam Lutheranus, sed Calvinianus & hypocrita verfutissimus. Quare ipsius opinionem per omnia non facimus nostram. Nunc ad rem.

II. Becanus hujus disputationis initium faciens, hanc generalem præmittit præfationem: *Per Caput Ecclesia nihil aliud intelligimus, quàm Principem, Primatem, Gubernatorem, Pastorem Ecclesia. De hoc Capite sic sentiunt Catholici. 1. Christum cum esset in hac vita, fuisse visibile Caput Ecclesia. 2. Post ascensionem Christi, Petrum fuisse ejus Vicarium in eadem Ecclesia visibiliter gubernandâ. 3. Romanum Pontificem esse successorem Petri in eadem gubernatione. Itaque & Christum fuisse visibile Caput Ecclesia; & similiter Petrum fuisse; & nunc Pontificem esse. Loquor autem de Capite visibili, quia Christus post ascensionem est Caput invisibile, ut paulò post explicabo. De hoc ergò triplici Capite, multa dixi in libris de Rep. Ecclesiasticâ contra Marcum Antonium, quæ hic compendio repetam.*

III. Initiò cum Becano supponimus, dandum ac concedendum esse aliquod Ecclesiæ veræ ac Catholicæ Caput. Quia enim corpus est quoddam, ex vivis membris constans, caput habeat, necesse est, & quidem ejusmodi caput, unde vitam accipiat, & cujus spiritu in omnibus regatur: nec regatur tantùm, sed incrementa quoque habeat, unde crescat. Hinc Chrysostomus, *omnis Ecclesia, inquit, quousq; caput habet, crescit.* Quare Christianus non est, qui Ecclesiam sentiat esse *ἀνεφαλον*, hoc est, corpus sine capite.

IV. Atque hoc caput esse *Christum*, negari, vel ab ipsis
adver-

adversariis, non potest: quippe cui id tribuitur expressâ scri-
pturâ. *Ephes. 1. v. 22. c. 4. v. 15.* ex quo totum corpus congruenter
coagmentatum est. *cap. 5. v. 23. Coloss. 1. v. 18.* Et Ecclesia vocatur
corpus Christi, *Rom. 12. v. 5. 1. Cor. 12. v. 27. Eph. 1. v. 23. Col. 1. v. 18.*
dicitur Christo, tanquam capiti, subjecta, *Eph. 5. v. 24.* dicitur
crescere in Christo, *Eph. 4. v. 16.* ab ipso salutem accipere, *ibid.*
c. 5. v. 23. sanctificari, purgari. *ibid. v. 26.*

V. Quod autem Beccanus cum cæteris Papistis huic Ca-
piti substituat aliud visibile, *Petrum, & post hunc, Pontificem,*
Romanum, illumque supremi Capitis Christi vicarium, Caput
Ecclesiæ universalis in terris constitutum, in sequentibus nu-
getur, ferre & concedere, neque possumus, neque debemus.
Sanè Principes, Duces & Reges capita populorum vocantur
in scriptura, uti legere est. *1. Sam. 15. v. 17.* ubi Saul Caput in tri-
bus Israel factus dicitur: & *Amos 6. v. 1.* ubi optimates capita
populi: Et *Esaia. 7. v. 8.* quo loco Rex Damasci & Samariæ ca-
pita vocantur. Verùm de Apostolis & Episcopis nusquam le-
gitur in scripturis, quod Ecclesiæ Capita appellitentur. Imò
Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 42. Apostolum Pau-
lum eorum, quos in fide Christi plantaverat, caput esse potuif-
se negat, dicens: *O humana temeritas & superbia, cur non sinis po-
tius, ut semper Christus det fidem, Christianum dando facturum? cur
non sinis, ut semper sit Christus origo Christianis? In Christo radicem
Christianus figat, Christus Christiani sit caput. Neq; enim etiam
cum per sanctum & fidelem dispensatorem gratia spiritualis creden-
tibus impertitur, dispersator ipse justificat: ac non ille unus, de quo di-
ctum est, quod justificat impium. Aut verò Apostolus Paulus erat Ca-
put & origo eorum, quos plantaverat, aut Apollo radix eorum, quos
rigaverat, ac non ille, qui eis incrementum dederat, cum idem dicat:
Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaq; neq;
qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus.
Nec radix eorum erat ipse, sed ille potius, qui ait: Ego sum vitis, vos
estis sarmenta. Caput etiam eorum quomodo esse poterat, cum dicat,
nos multos unum esse corpus in Christo, ipsuraq; Christum caput esse
universi corporis, pluribusq; locis apertissime contradicere? Hæc Au-
gustinus.*

VI. In quibus palam negat, tam insignem Apostolum caput esse potuisse eorum quoque, quos ipse plantaverat. Et causas adjicit urgentes & apodicticas, quod videlicet Christiani sint unum corpus in Christo, & Christus ipse universi istius corporis sui caput. Si verò de Paulo, tanto Apostolo, dici non potest, quod fuerit caput Ecclesiae, quam in Domino plantaverat, pari ratione, existimo, nec de cæteris Apostolis hoc dici posse. Et si Apostoli non sunt vocandi capita Ecclesiarum, quas plantaverunt, quomodo Episcopi vocari poterunt Ecclesiarum capita, & quidem illarum, quas nec plantaverunt, nec ab aliis plantatas rigant?

VII. Quod Petrum super Paulum & cæteros Apostolos extollunt Papani, propterea, quod, licet pari sint potestate præditi Apostoli, ipsi tamen peculiariter dictum sit à Domino: *Pasce oves meas*: & ita vigore hujus mandati ipsum universalis Ecclesiae & pastorem & caput constituunt; id contra omnem rationem, & verum scripturae sensum faciunt. Tantumne discriminis est inter *plantare* & *rigare*, quod de se & Apollo dicit Paulus: & *pascere*, quod Petro peculiariter tribuit; ut Paulus propter plantationem Ecclesiarum caput vocari nequeat; possit verò Petrus propter pastum, non eorum duntaxat, quos pavit, sed & universalis Ecclesiae caput dici? Credit Papista, Lutheranus istiusmodi vana somnia non adorat. Demonstrabimus ergò cum Deo, solum Christum fuisse, & adhuc esse unicum suae Ecclesiae caput: Nunquam autem fuisse Petrum: nunquam Pontificem Romanum fuisse, neque hodie esse: Sed illum fidelem Christi Apostolum: hunc verò superbum & blasphemum Christi *ἀντιχριστον* & adversarium, 2. *Thess. 2. v. 4.*

VIII. Primum ergò caput aggreditur Becanus, quod ita inscribit: *De Christo supremo Ecclesiae capite seu Monarcha*. Huic inscriptioni statim subjicit tractationem primùm generalem §. 2. & 3. deinde specialiter totam hanc controversiam quatuor conclusionibus complectitur, & de illis ordine agit: ut diximus, hac disputatione priores tres examinaturi sumus.

IX. Generaliter tractationem ita instituit §. 2. & 3.
Certum est Christum esse caput seu Monarcham Ecclesie. Hoc enim
disertè docet Apostolus Eph. 1. v. 22. Omnia subjecit sub pedibus ejus:
Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.
Et cap. 4. v. 15. crescimus in illo per omnia, qui est Caput Christus. Et Co-
loss. 1. v. 18. Et ipse est caput corporis Ecclesie. In hoc puncto sentiant
nobiscum adversarii. Aliqui tamen dissentiant in his. 1. Quando Chri-
stus cœperit esse Caput Ecclesie? 2. An sit Caput visibile, an tantum
invisibile? An solus Christus sit Caput Ecclesie? Marcus Antonius, no-
vus Apostata, sic statuit. 1. Christum non fuisse Caput Ecclesie in hac
vita; sed cœpisse esse Caput illius post ascensionem, quia tunc primum
Ecclesia ab Apostolis ædificata est. 2. Christum esse Caput invisibile
tantum, non visibile. 3. Nec aliud esse Caput Ecclesie, præter Chri-
stum; neq; visibile, neq; invisibile. Quæ omnia falsa sunt, ut patebit ex
sequentibus conclusionibus.

X. Omnino certum est, Christum esse Caput seu Mo-
narcham Ecclesie, & præter Christum, nullum amplius; quod
addere debuisset Jesuita: sed non istud ad ejus palatum. Id au-
tem verè de ipso dicitur: quia est unigenitus Dei, datus à Deo
patre Caput omnium sufficientissimum, cujus supereminen-
tiam prædicat Apostolus, cum eum vocat principium, respi-
ciens ad vocem $\omega\mu\tau$, quæ Hebræis & Principii & Capitis signi-
ficationem habet: deinde addit ipsum in omnibus primas tenere,
& antea existere, super omnia positum, & omnia per eum esse
& consistere. Ad sufficientiam verò pertinet, quæ corpori om-
nia, quæ ei sunt necessaria, administrantur; quod prædicat
eum omnia in omnibus implere, ac corpori salutem dare, cor-
pus etiam in ipso totum, ut est, crescere: quo facit illud Christi.
Ego sum vitis vera, vos palmites. Job. 15. v. 5.

XI. Certum quoque est Christum etiam fuisse Caput
sive Ecclesie, in hisce terris ambulans; licet illud tantâ po-
tentia ac magnificentia non demonstraverit; ut hodie in statu
exaltationis constitutus: atque tum omnino fuisse caput visibi-
le; siquidem talem discipuli ipsum agnoscebant & prædicabāt,
Job. 6.

Job. 6. v. 69. Matth. 16. v. 16. 17. 18. Sicque statim in hoc principio apparet, quod diximus, nos *M. Antonii opinionem per omnia non facere nostram.* Tertium verò, nullum aliud esse caput, præter Christum, neque visibile, neque invisibile, cum ipso constanter asseveramus.

XII. Dehinc statim progreditur Becanus ad specialem tractationem, primam conclusionē §. 4. his verbis proponens. *Prima Conclusio: Christus in hac vita existens fundavit, seu edificavit suam Ecclesiam: Et Apostoli eandem post Christi ascensionem auxerunt & propagarunt.*

XIII. Conclusionem hanc, quam nos veram & orthodoxam esse agnoscimus, dividit in duas partes: priorem & posteriorem. Illam primo loco resolvens, & tractans primum, probat, & deinde tria argumenta, à M. Antonio objecta, examinat. Nos præeuntem Becanum sequemur.

XIV. Pergit ergò: *Prior pars probatur. 1. Quia Christus in hac vita instituit ministros Ecclesie, nempe duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos; quorum hi presbyteri fuerunt, illi Episcopi. 2. In hac vita instituit nova Sacramenta. 3. Instituit novum sacerdotium & sacrificium. 4. Sancivit novas leges Evangelicas. 5. Condidit novum Testamentum, cujus ipse mediator est. 6. Hac omnia perfecit & confirmavit per mortem in cruce, cum dixit: consummatum est. Deinde post resurrectionem, cum hinc discessurus esset, dixit Apostolis suis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. & quorum retinueritis, retenta sunt. Et Petro seorsim: Pasce oves meas. Quid amplius requiri poterat ad fundandam & edificandam Ecclesiam?*

XV. Ut ut verissimum proposuerit thema Becanus, in probatione tamen deficit. Quod enim in primâ ratione dicit septuaginta discipulos fuisse Presbyteros, & Apostolos, Episcopos, sensu Becani, nullâ scripturâ vel ratione probabitur, ideoq; falsum est.

XVI. Initiò enim certum est, quod Episcopatus & Apostolatus distinctissima sint officia, utpote, quæ ab ipso spiritu sancto distinguantur Ephes. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam Apostolos,*

Roles, quosdam Prophetas, alias verò Evangelistas, alios Pastores & Doctores &c. Qui sint Apostoli, constat ex variis sacrae scripturae locis, nempe quod sint (rectè definiente Dn. D. Hunnio, in hunc locum,) Personae immediatè per Christum vocatae, quarum operam Christus utebatur in constituendâ & recens plantandâ per orbem Ecclesia: Ideoque ad unam particularem Ecclesiam certi alicujus loci, civitatis aut provinciae non erant alligati, sed emittebantur in mundum ad praedicandum Evangelium universae creaturae. Quales fuerunt, addit Doctor Hunnius, undecim Apostoli à Christo peculiariter selecti, & in horum ordinem, loco proditoris Judae, cooptatus est Matthias. Similiter quasi extra ordinem duodecim Apostolorum singulariter illustrati & emissi Paulus & Barnabas, duo illa praecelara Jesu Christi lamina. Quorum ille non obscure in omnibus suis Epistolis se Apostolum Christi profiteretur. Barnabas autem apertè accensetur Apostolis, & Apostolicae dignitatis titulo ornatur, Act. 14. v. 13. in ejusdem planè functionis Apostolicae munus per Spiritum sanctum segregatus & emissus, ut & ceteri Apostoli. Segregate mihi (dicit Spiritus Sanctus Act. 13. v. 2.) Barnabam & Saulum (qui & Paulus) in opus, ad quod accesseritis vos.

XVII. Per Prophetas deinde intelligit Paulus praestantissimos Doctores, proximè ad Apostolos accedentes, qui simul etiam donum praedicendi futura habuerunt, ut de Agabo & aliis in Actis legimus. Sic Evangelistas vocat Doctores, Apostolorum comites, ut fuit Timotheus, qui 2. Tim. 4. v. 5. expressè Evangelista dicitur. Cum primis verò quatuor illi insignes, qui historiam Evangelicam Jesu Christi descriptam nobis reliquerant, tamen duo ex istis, Matthaeus & Johannes, ob vocationem sublimiorem inter Apostolos sunt numerati. Sic Act. 21. v. 8. mentio fit Philippi Evangelistae. Tales quoque fuere Titus, Sosthenes, Silvanus, Epaphroditus &c. Pastores porro sunt & erant (rectè rursus describente Hunnio) qui neque immediatè per Christum aut Spiritum sanctum emittebantur in orbem universum, ut Apostoli, neque ad levandos ho-

B

rum.



rum labores ad Ecclesiam mittebantur passim ut Evangelistæ, sed suæ cuique assignatæ commissæque erant Ecclesiæ. Doctores tandem, quorum munus putatur fuisse ex verbo Dei tradere fundamenta doctrinæ Christianæ: quorum in numero sunt, qui hodie in scholis publicis sacra profitentur, nempe Professores Theologiæ in Academiis.

XVIII. Si jam quærat, ad quam classem pertineant Episcopi; respondendum omninò est, quod neq; ad primam Apostolum, neq; ad secundam Evangelistarum, sed ad tertiam Pastorum referantur. Sic in toto Novo Testamento vox Episcopi usurpatur, *Actor. 20.v.28. Phil. 1.v.1.1. Timoth. 3.v.2. Tit. 1.v.7.* nec potest contrarium exemplum reperiri. Colligitur ergò inde, quod longè excellentius officium sit Apostolatus, quàm Episcopatus: ad illud fit vocatio immediatè à Spiritu sancto, ad hoc mediatè: Illud est universale, hoc particulare: illud ad nullum certum locum adstrictum, hoc ad certum locum alligatum: illud præest universali, hoc particulari Ecclesiæ: qui in illo est, est Doctor immediatè à Spiritu sancto illuminatus & *ἡρώπρευτος*; ideoque errare non potest in fide; Episcopus verò mediatè est informatus, proindeq; errare potest: Illius verba & scripta sunt regula & norma fidei; hujus sunt regulata & normata, & secundum illam formata, neque veritatem ex se habent, ut illa; sed ex illis, & quatenus cum illis congruunt, vera censentur.

XIX. Consentit Augustinus tom. 7. lib. 2. de Baptismo contra Donatistas c. 1. ubi ait: *Quis nescit illum Apostolatus principatum cuiuslibet Episcopatus præferendum esse?* Sic tom. 2. lib. Epistol. epist. 48. mihi p. 183. scripta Episcoporum longè infra Apostolorum collocat. Et tom. 8 in enarratione Psal. 45. pag. 417. de Apostolis & Episcopis discurret. Dixit (Paulus Apostolus) *hoc quidem; sed quamdiu hic manere potuit? Numquid usque ad hoc tempus? Numquid usque in posterum? Ergò illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Quid est, pro patribus tuis nati sunt tibi filii? Patres missi sunt Apostoli: Pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi.* Facit ergò ejusmodi

modi discrimen Augustinus inter Apostolos & Episcopos, quale est inter Patres & Filios.

XX. Cerrum ergo est, Apostolos, propriè secundum scripturam & veritatem loquendo, non fuisse Episcopos: Et Episcopos non fuisse, Apostolos, nec hodie esse: sed officiis suis distinctissimos esse. Sic neque duo & septuaginta discipuli fuerunt presbyteri. (Nam Presbyteri & Episcopi promiscuè vocantur, Act. 20. v. 17. 28. Observate, inquit Hieronymus ad Tit. 1. quomodo unius civitatis Ephesi Presbyteros vocans, postea eisdem Episcopos dixerit,) neque enim illi ad certas Ecclesias erant allegati, ut presbyteri, sed erant Apostolorum coadjutores; Quare partim inter Prophetas, partim inter Evangelistas sunt numerandi.

XXI. Deinde falsum est, & nullam scripturam potest probari, *Christum novum instituisse sacrificium*: nisi forsitan id novum dicere velis, quod seipsum fecit sacrificium in passione, & morte sua pro peccatis totius mundi. Verum non instituit illud sacrificium ut nos offeramus: sed ipse semel se obtulit, atque id semel fecit, ut loquitur Epistola ad Hebræos cap. 9. v. 12. 13. Neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est SEMEL in sacrarium, æternam redemptionem nactus. Præter hoc unicum sacrificium nullum scriptura Novi Testamenti agnoscit. Quandoquidem hoc unico ac vero sacrificio omnia alia, tanquam illius typi, finire debebant. Sacramenta quidem Dominus nobis instituit; sed nulla sacrificia.

XXII. Tertio falsum quoque est, *Christum instituisse novas leges Evangelicas*, & quidem tales, ut Becanus & Pontificii illis fingant; uti id suo loco pluribus à nobis est probatum. Tandem: verum quidem est, dixisse Christum Petro seorsim; *pasce oves meas*: sed dicto illo Petro concessisse primatum supra Ecclesiam jam negavimus, & suis locis pluribus confutabimus.

XXIII. Nunc se confert Jesuita ad objectiones M. Antonij de Dominis; quibus ille probare conatur, *Ecclesiam Christi primum post ascensionem Domini edificatam esse, Christumque*

tum primum cepisse ejus caput esse. Verum quia hic Jesuitam
adversarium non habemus, quippe qui cum ipso contra hunc
Marcum Antonium statuimus: Christianæ Ecclesiæ prima
fundamenta à Johanne Baptista jacta, illamque porro ab ipso
Christo in statu exinanitionis, tempore sui ministerii ædifica-
tam esse, atque tum quoque sub ipso, tanquam capite, fuisse, licet
obscuriore modo; atque tempore hoc suæ exaltationis & glo-
rificationis: quo, postquam ad cælos ascendit, sedet ad dexte-
ram Dei, & omnia in omnibus est, implet, regit & gubernat:
utique necessarium non est, singula, quæ contra istum M. Anto-
nium Becanus disputat adscribere; sed tantum pauca qua-
dam, quæ contra nostram confessionem vel obliquè, vel direc-
tè pugnare videntur, excerpere & examinare sufficit.

XXIV. In primo ergo argumento obliquè tangit er-
rorem suorum Papistarum, quem errant de ordinatis mini-
stris & legibus Evangelicis, quando ait: *Fundata & ædificata
est Ecclesia ante ascensionem Christi, quando ministri illius sunt ordi-
nati, sacramenta instituta, & leges sancitæ.* Quandoquidem de
ordinibus, quos fingunt; & in praxi suâ Ecclesiasticâ habent;
nihil instituit Christus, sed illos simpliciter ignorat, ignorat et-
iam orthodoxa Ecclesia Christi. Deinde §. 6. reprehendit An-
tonium, quod non rectè verterit & legerit verba Esaiæ 53. v. 11.
*Sic legendum est, ait: si posuerit pro peccato animam suam, videbit
semen longævum.* Verum cæcus cæcum ducit, neque sic rectè
translatus est Hebræus textus, quippe cujus sensus hic est, pro-
indeque sic vertendus: *Propter laborem animæ suæ videbit (&c) sa-
turabitur.*

XXV. In secundi argumenti refutatione inter alia his
vitur verbis §. 7. *Ecclesiam Christi formatam esse ex latere Chri-
sti symbolicè quidem quia ex latere Christi fluxerunt aqua & sanguis,
quæ erant signa vel symbola significantia Baptismum & Eucharistiã,
PRÆCIPUA Ecclesiæ Sacramenta.* Quia ergo Baptismum
& Eucharistiã præcipua dicit Sacramenta, supponit ac sub-
indicat distinctionem Sacramentorum in præcipua, quæ sunt
Baptismus & cœna Domini: & minus præcipua, quæ hanc dubiè
ipfi

ipsi sunt quinque illa spuria Pontificiorum Sacramenta: *Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Extrema unctio, & Matrimonium.* Sed spuria inquam, posteriora hæc sunt Sacramenta, de quibus nihil instituit Christus, nihil sciverunt Apostoli, planè ignorarunt orthodoxi Patres & Ecclesia: ut suo loco pluribus docebitur & demonstrabitur: quare distinctio hæc quoque nulla est.

XXVI. Deinde benè notandum, quod propterea duo hæc præcipua Sacramenta Becanus dicat effluxisse è latere Christi, *quia habere debeant omnem suam vim ex merito passionis & mortis Christi,* & probet illam sententiam autoritate Cyrilli, Chrysostomi, & Cornelii à Lapide. Unde sic argumentor: Quæ Sacramenta non effluxerunt è latere Christi, illa non habent suam vim ex merito passionis & mortis Christi: Quinque posteriora, & minus præcipua Pontificiorum Sacramenta, non effluxerunt è latere Christi. Ergò quinque illa Sacramenta Pontificiorum non habent suam vim ex merito passionis & mortis Christi. Major est certâ: Negatâ enim adæquatâ & immediatâ causâ, negatur quoque ejus effectus. Minor est certa, quia sola illa duo Sacramenta, & non plura ex latere Christi profufluxerunt. Ergò conclusio est certissima. Unde ergò ista quinq; suam habent vim, Jesuita? Non sine causâ conjectat Dn. Meyfartus: *Forsan, inquit, ex raso vertice sacrificulorum? forsân ex pixide olida?*

XXVII. Cæterùm quia in explicatione resolutionis tertii argumenti non pauca falsa miscentur veris, placet illam totam adscribere, & quæ desideremus, paucis subjicere. Verba Becani hæc sunt §. 9. & 10. *Ad majorem explicationem tria tempora distinguenda sunt. Primum, ante mortem Christi. Tunc simul viguit Synagoga vetus, & Ecclesia nova: simul Baptismus & circumcisio: simul sacrificium Eucharistia, & sacrificia Mosaica: simul Lex, & Evangelium. Alterum, in morte Christi. Tunc exspiravit Synagoga cum suis ceremoniis, & sacrificiis; tunc velum templi scissum est, in duas partes: tunc Lex Mosaica abrogata est. (Hoc docet Augustinus Epist. 19. ad Hieronymum, & Hieronymus ipse Epist. ad Augustinum,*

qua est 11. inter Epistolas Augustini, & D. Thomae in 1. 2. quaest. 103. art. 3. ad 2. & alij passim. Tertium post mortem Christi. Tunc Synagoga sepulta est: Tunc ceremonia & sacrificia Mosaica, qua jam ante erant mortua, coeperunt foetere: vel, ut Theologi loquuntur, coeperunt esse mortifera. An autem id factum sit statim & immediate post mortem Christi, an vero post solennem Evangelii promulgationem in die Pentecostes vetus controversia est. Hieronymus tenet priorem partem: Augustinus posteriorem. Itaque secundum Augustinum, à tempore mortis Christi, usque ad diem Pentecostes, orant quidem mortua sacrificia Mosaica, id est, erunt abrogata, non erant utilia ad salutem, non habebant vim & energiam, quam antea habuerunt: sed tamen nondum erant mortifera, id est, nondum afferebant mortem spiritualem; adhuc poterant usurpari sine peccato mortali. At post promulgatum Evangelium, coeperunt mortiferum foetorem exhalare, & qui ea tunc usurpasset, mortali peccato se obstrinxisset. Maneat igitur certum, Ecclesiam à Christo aedificatam esse in hac vita. Sed tamen obiter notandum est, successive, & non unico quasi instanti, aedificatam esse. Nam primò, electi sunt Apostoli & discipuli. (Matth. 4. v. 18.) Deinde Baptismus praeceptus est. Johan. 3. vers. 5. Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non poterit introire in regnum Dei. Postea, idem Baptismus usurpatus Johan. 4. vers. 1. Ut autem cognovit Jesus, quia audiverunt Pharisei, quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Johannes (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus) reliquit Judaeam. Tandem in ultimâ cenâ, Sacramentum & Sacrificium Eucharisticum institutum, & Apostoli Sacerdotes ordinati sunt. Denig, cruentum Novi Testamenti Sacrificium in arâ crucis oblatum est: quo peracto, exspirârunt omnia sacrificia Mosaica, quia non erant: nisi umbra cruenti sacrificii crucis. Umbram autem, presente lumine, cessare necesse est. Postremò, post resurrectionem Christi, potestas absolvendi à peccatis data est omnibus Apostolis, & Petrus totius Ecclesiae Pastor constitutus est, loco Christi. (Johan. 21. vers. 17.) Quae autem postea contigerunt, pertinent ad alteram partem assertio- nis meae.

XXVIII. Primùm ergò innuit Jesuita, Christum,
ante

ante mortem suam instituisse *sacrificium Eucharistia*. Quod falsum esse, supra monuimus; proindeque hoc loco intactum relinquere non debuimus. Sacramentum instituit Eucharisticum non sacrificium: quippe qui omnia sacrificia unico suo sacrificio cruento, quod in proprio corpore obtulit, abrogavit.

XXIX. Deinde quando dicit *in morte Christi expirasse Synagogam cum suis Ceremoniis & Sacrificiis*; tantum secundum quid verum est. Nam Josephus, ut & Aegesippus testantur, sacerdotes longè post mortem Christi in ipsa obsessione Hierosolymitanâ inter media funera quando jam templum ab hostibus destruebatur, occupatissimos fuisse in sacrificiis offerendis. Quare distinguendum est inter effectum sacrificiorum & ceremoniarum Mosaicarum, & actum externum illarum: In morte Christi lex ceremonialis cum omnibus suis sacrificiis, quoad effectum sive efficaciam suam cessavit, licet non statim desierit, quoad actum & exercitium externum.

XXX. Tertiò ad quæstionem, inter Augustinum & Hieronymum motam, respondemus cum Domino Meyfarto, nos illam non facere nostram, & approbamus cum eodem Theologorum regulam: *Ceremonialia ante Christum fuerunt viva, in Christo mortua*, (ut veteres loquuntur.) *Post Christum mortifera*. Hoc est, (addit Dominus Meyfartus.) Ante Christum vivebant & vigebant: In Christo, sive à tempore Incarnationis Christi usque ad gloriosam ascensionem paulatim mori incipiebant: post Christum seu post ascensionem, & universalem Evangelii prædicationem erant mortifera, ut si quis Mosaicæ leges simpliciter revocandas diceret, mortiferum seu mortale peccatum committeret. Et hinc omninò est, quod quædam ceremonialia Apostoli liberè observarunt *Actor. 17. vers. 3. cap. 21. v. 26. & 1. Corinth. 9. v. 20.* quam primùm verò quidam libertatem in necessitatem convertebant, Paulus se acerrimè opposuit, & legem abrogatam esse demonstravit. *Gal. 2. v. 11. cap. 5. v. 4.*

XXXI. Tandem quod addit *post resurrectionem Christum*

sum potestatem quidem absolventi à peccatis dedisse Apostolis; Petrum verò solum præ cæteris ad supremum honoris & dignitatis fastigium exaltasse, & totius Ecclesie pastorem & caput visibile loco suo constituisse, idque Johan. 21. v. 17. Concedimus prius: posterius verò sæpiùs à nobis negarum & refutatum est, uti etiam infra in secundo capite, ubi ex professo de primatu Petri agetur pluribus argumentum istud examinandi dabitur occasio.

XXXII. Haec enī fuit prior pars propositionis primæ Becani: sequitur posterior, de qua agere incipit §. II. Ubi docet, quò modo Ecclesia à Christo fundata, per Apostolos propagata sit. Et addit in fine; *Ut missi sunt Apostoli in omnem terram, sic quoque hoc tempore multos Apostolorum imitatores missi in Indiam, Japoniam, & alias provincias, ut Ecclesia Christi novè semper accessione augeatur & propagetur.* Intelligit autem per hos Apostolorum imitatores Jesuitarum discipulos.

XXXIII. Verùm hæc imitatio non statim probat id, quod probandum erat, nempe, *Jesuitarum hodie doctrinam esse illam ipsam, quam olim Apostoli in universo mundo docuerunt, propagarunt, & in suis scriptis Θεολογικῆς & Canonicis post se nobis reliquerunt;* proindeque hos suos emissarios veram orthodoxam, verè Catholicam & Apostolicam religionem propagare, & ad illam paganos & alios infideles ac incredulos convertere. Deinde probare debebant hujus sui Pseudo-Apostolatus vocationem immediatam, qualis Apostolorum fuit, & huic extraordinario officio competere. Quamdiu isthæc nobis non probaverint, ut in æternum non sunt probaturi; tamdiu externâ istâ imitatione, quod circumnavigant mare, & perambulant aridam ad novas usque Insulas, ut ibi Pontificiæ sedis falsa dogmata plantent, non patiemur nobis persuaderi, istos excursos & vagabundos esse Apostolorum in verâ Evangelicâ doctrinâ de Christo propagandâ, imitatores; sed potius hypocritarum Phariseorum sectatores, de quibus Christus dicit Matth. 23. v. 15. *Quod circumveant mare & aridam, ut faciant unum proselytum, & cum fuerit factus, faciant eum filium gehennæ, dupl'o magis quàm ipsi sunt.*

XXXIV. Quæ §. 12. adduntur per se plana sunt, nempe primò Ecclesiam Christo in hisce terris ambulante, ac ipso Evangelium docente ex populo Judaico collectam esse, nisi quod subinde gentiles quoque ad Christum accesserint, ipsum pro Messia agnoverint, in ipsum crediderint, & sic in Ecclesiam Christi recepti fuerint: post ascensionem verò per inermes Apostolos, & illorum discipulos ac successores in universum orbem terrarum missos, Judæis propter ingratitude & obstinatie reiectis, gentes divinâ singulari gratiâ, sæpius à Prophetis & Christo ipso prædictâ & promissa, ad Ecclesiam Christi innumerosâ multitudine collectæ sunt, quam Gentilium accessionem Paulus magnum pietatis mysterium vocat 1. Timoth. 3. v. ult. idque non sine causâ. Quandoquidem duplex (annotat te Flacio) mysterium hæc gentium vocatio continet. Primum, quidem quod hæcenus neglectos populos, Deumque negligentes, ipse sibi adjungat, atque ita dicat populo non suo, populus meus. Deinde etiam gratuitam justificationem; sicut Christus Petro per immundissimas bestias. Act. 10. declarat. Quòd enim gentes, omni Idololatriâ & turpitudine contaminatissimæ, subito in Dei gratiam, filios & vitam æternam tantâ illius patris alacritate, tanquam perditii quidam filii, recipiebantur, atque ita publicani, ac meretrices justitiosos Phariseos in regno cælorum prævenerunt, ut per se magnum est miraculum; sic quoque liquidò ostendit summum illud pietatis mysterium homines per solam gratiam meritumq; Christi servari.

XXXV. Secundam porrò conclusionem proponit, simulque probat Becanus §. 13. his verbis: *Christus in hac vita existens fuit visibile caput Ecclesie. Quod fuerit Caput, sic probo: Christus in hac vita existens fundavit Ecclesiam, ut ostensum est: Ergò in hac vita cepit esse illius caput: Alioquin Ecclesia fuisset sine capite, sine Rectore, sine Preside quod est absurdum. Quod autem fuerit caput visibile, dupliciter probo. 1. Quia visibiliter Ecclesiam edificavit, instituendo nova Sacramenta, ordinando novos ministros & sacerdotes, sanciendo novas leges, offerendo novum sacrificium in arâ crucis:*

C

2. Quia

2. Quia eandem vifibilibiter gubernavit, docendo, monendo, increpando, corrigendo.

XXXVI. Omnia illa rectè se habent. Sed quæ respondet in subfequentibus ad Marci Antonii argumentum, simpliciter probare non possumus. Pergit ergò §. 14. Objicit M. Antonius illud Apostoli Epheſ. 1. v. 20. ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dextram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem. Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. Unde concludit, Chriſtum factum eſſe Caput Eccleſiæ, poſtquam conſtitutus eſt ad dextram patris. Reſpondeo. Aliud eſt, eſſe Caput Eccleſiæ; aliud agnoſci & honorari ab omnibus, tanquam Caput Eccleſiæ. Chriſtus in hac vita fuit Caput Eccleſiæ: ſed poſt Aſcenſionem ab omnibus agnitus & honoratus eſt, tanquam Caput Eccleſiæ. Nam antea, cum verſaretur in hac vita mortali, tametſi reverà eſſet Caput & fundator Eccleſiæ: habebatur tamen abjectus & contemptibilis, ut ipſemet fatetur per Prophetam, Pſalm. 21. verſ. 6. Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis. At in ipſa Aſcenſione cœpit exaltari, & glorioſus apparere, & ab omnibus tanquam Filius Dei adorari. Tunc dictum eſt Pſalm. 23. verſ. 7. Attollite portas principes veſtras, & elevamini porta aeternales, & introibit Rex gloria. Quis eſt iſte Rex gloria? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio. Nimirum, qui dixit: Ego vici mundum.

XXXVII. Verùm reſponſio illa non videtur ſatisfacere textui Apoſtolico, neque argumento M. Antonii. Sic enim vult argumentari M. Antonius. Quando Chriſtus conſtitutus eſt ſupra omnem principatum & poteſtatem, tùm demum cœpit eſſe Caput Eccleſiæ. Atqui poſt reſurrexionem per ſeſſionem ad dextram Dei conſtitutus eſt ſupra omnem principatum & poteſtatem: Ergo demum poſt reſurrexionem per ſeſſionem ad dextram Dei cœpit eſſe Caput Eccleſiæ. Majorem videtur confirmare, quod Apoſtolus, tanquam connexa, conjungat, omnia Chriſti pedibus eſſe ſubjecta, & ipſum datum eſſe caput ſuper omnem Eccleſiam. Minor deinde diſertis verbis à Paulo exprimitur. Reſpondet Becanus ad Minorem, ejusque probationem, & diſtinguit

tinguit inter esse caput, & ejus agnitionem five honorem de-
bitum, contenditque in dicto Paulino agi de solâ agnitione
& honore hujus capitis, non de ipsâ capitis constitutione.

XXV III. Videtur responsio hæc dicto Paulino
non satisfacere: cum verba sint clara: *Christum constitutum &
datum esse in caput Ecclesie.* Negamus ergo nos Majorem, & e-
jus probationem. Quandoquidem textus Apostolicus non
docet, quando Christus factus sit caput Ecclesie, sed conce-
dendo & extollendo infinitam Dei potentiam & immensam
efficaciam in Christo abundè demonstratam, simul recenset
ac proponit præcipua de Christo credenda. Quæ sex mem-
bris includi possunt. Primum est, quod credamus Christum
esse mortuum, & tertiâ die resurrexisse à mortuis, quod Apo-
stolus confirmat his verbis: *Deus suscitavit eum ex mortuis.*
Quandoquidem illis tum mors, tum resurrectio Christi asseri-
tur. Alterum est, Christum ascendisse in cælum, & sedere ad
dextram Dei, de quo testatur in sequentibus: *Et sedere fecit ad
dextram suam in cælestibus.* Ubi & ascensio, & sessio ad dextram
Dei continetur. Tertium est, quod exponit velut per quan-
dam expolitionem, istam Christi exaltationem ascensionis &
sessionis; quod nimirum sit *exaltatus super omnes in universum
potentias & creaturas hujus & futuri seculi.* Quartum, quod sit Rex
æternus, proindeque in seculo futuro: quod probat, quando
asserit, *ipsum esse elevatum longè supra omnem principatum non so-
lùm in hoc, verùm etiam in futuro seculo.* Quintum, quod indi-
cat amplitudinem Imperii & victoriæ Christi, quod omnes
etiam adversarii ejus sint pedibus ipsius subiecti, ut sunt Sa-
tan, infernus, mors, peccatum, & mundus. Sextum, quod
Christus sit Caput Ecclesie, & vicissim Ecclesia Corpus Chri-
sti, quod etiam expressis verbis hic docet, & attestatur Paulus.

XXV IX. Si ergo ex ordine, quo hic recensentur, Mar-
cus Antonius vult argumentari, frustra defudat. Certum e-
nim est, quod statim Salvator noster fuit constitutus per nati-
vitatem, ut testatur Angelus *Luc. 2. v. 11.* Quando autem con-
stitutus est Servator mundi; constitutus quoque est caput Ec-
clesie

clesiæ suæ. Quandoquidem in illo, quod sit salvator, consistit tota formalis ratio hujus nostri capitis.

X L. Deinde distinguunt nostri Theologi inter ipsam Majestatem, per quam est & dicitur Caput Ecclesiæ Christus: & inter ejus usurpationem plenariam: Illam communicatam accepit caro sive humanitas in ipso unionis & Incarnationis momento: hanc verò consecuta demum est post resurrectionem per sessionem ad dextram Dei, & sic in statu exaltationis. Si ergò Jesuita per manifestationem hujus majesticæ dignitatis intelligeret illam plenariam usurpationem, concedi posset ejus responsio. Sed qui potest? Cum actum primum, hoc est, ipsam divinam Majestatem humanitati per unionem hypostaticam communicatam esse neget. Ergò quod in statu exinanitionis non habuit: quomodo per actum secundum & *χρῆσις* manifestari potuit?

X L I. Pergit Becanus § 15. *Habemus simile exemplum ex eodem Apostoli testimonio. Nam Christus ante ascensionem, sedebat ad dextram patris, id est, habebat aequalem cum patre potentiam, gloriam, & majestatem, (ut explicat Athanasius, Basilius, Cyrillus, Chrysostomus, Damascenus, & alii apud Bellarminum, libr. 3. de Christo cap. 15.) Et tamen scriptura non aliter videtur loqui, quàm si primum post ascensionem cœpisset, sedere ad dextram patris. Quare hoc? Quia in hac vitâ mortali latebat Christi potentia, gloria, & majestas, & sub humanâ carne, tanquam sub vili pallio, occultabat. At per Resurrectionem & Ascensionem, cœpit fieri manifesta; non solum apud homines in terrâ, qui videbant illum ad cælum ascendentem. (Act. 1. v. 9.) Sed etiam apud Angelos in cælo, qui venerabundi & gratulabundi illum ad se venientem excipiebant. (Esai. 63. v. 1. & Phil. 2. v. 9.)*

X L II. Primum, Christum sedisse ad dextram Dei ante ascensionem, neque Paulus, neque ullus alius Apostolus vel Evangelista dixit aut scripsit, sed Christum fuisse in dextra Dei à primo puncto incarnationis unanimi consensu concedunt. Fuit enim ejus humanitas in *λόγῳ*, qui est ipsa dextra Dei: Verùm aliud est in dextrâ Dei esse juxta phrasin scripturæ; & aliud, ad dextram Dei sedere. Nam licet numero eadem sit Majestas, quam

quam Christus ex unionis hypostaticæ beneficio obtinuit, & quam nunc ad dextram Dei plenissimâ perfectione declarat: alia nihilominus hujus majestatis est ratio; quatenus HABERI, seu possideri dicitur ἐκλυθῆς; alia verò, quatenus USURPARI, EXERCI, & exerceri dicitur ἐνεργητικῶς. Illud unioni, hoc sessioni Christi à dextris æterni patris tribuitur. Quemadmodum alia est ratio, quod Rex minorennis ex nativitaris jure est hæres Regni & sic Dominus ac Rex, nondum autem regnat, sed sub pedagogo agit. Alia verò, quando Regni administrationem reipsâ aggreditur: sic etiam cæteris paribus de Christo.


XLIII. Id quod manifestum est ex ipsâ sacrâ scripturâ. *Luc. 2. v. 10. & 11.* Angelus annuntians nativitatem Messie pastoribus, infantem in præsepi reclinatum, *Christum & Dominum* prædicat: *Annuntio, inquit, vobis gaudium magnum, quia hodie natus est vobis Salvator, qui est CHRISTUS DOMINUS.* Petrus verò *Act. 2.* testatur, quod postquam à Judæis crucifixus, & postmodum dextrâ Dei exaltatus sit, Deus ipsum *CHRISTUM & DOMINUM* fecerit *vers. 36.* Pugnantne Apostolus & Angelus? Absit: neque pugnant, neque Incarnationem & sessionem Dei confundunt: sed distinctio jam adducta, cum observantur; res plana est, & consensus manifestus.

XLIV. Cum enim puerulus iste in ipsâ conceptione & nativitate spiritu sapientiæ, fortitudinisque ac roboris plenitudine sine mensura fuerit unctus, rectè ac verè jam tum in præsepi *CHRISTUS & DOMINUS* ab Angelo prædicatur: quia verò Majestatem illam, qua unctus fuerat, & dominium, quod acceperat, ratione usus ἐκένωσεν seu *evacuavit*, & sese sponte ac voluntariè servum fecit, qui verè Dominus erat *Johan. 13. v. 13.* idèò istud servi *ἄνωγα* post abiciens, & ad dominium suum, plenè administrandum subiectus rectè à Petro per exaltationem ad dextram Dei, *Christus Dominus* factus ratione ἐνεργείας & usurpationis appellatur.

XLV. Quare quando Patres dicunt, Christum habuisse etiam ante ascensionem æqualem cum patre potentiam, gloriam & majestatem; verum est, quod dicunt. Illos autem

propterea affirmare, Christum ante ascensionem, juxta phra-
sin scripturæ, rectè dici *sedisse ad dexteram Dei*, nullâ conse-
quentiâ probabitur. Cum nequaquam synonyma sint, *di-*
vinam Majestatem habere, & ad dextram Dei sedere, ut patet.
XLVI. Terciam conclusionem proponit Becanus §.
16. *Christus in cælo nunc existens, adhuc manet caput Ecclesiæ: non*
quidem visibile, sed invisibile. Quam probamus. Explicationem
verò quod attinet, in illa duo desideramus. Primum est,
quod dicit §. 17. *Christum nunc in cælo existentem, per se quidem*
gubernare Ecclesiâ quoad internum fluxum gratiæ: non tamen
per se, sed per vicarium, quoad externam directionem. Committit
enim petitionem principii Jesuita: Demonstrabimus paulò
post, Christum in gubernandâ Ecclesiâ suâ hisce in terris non
adhibere, sive vicarium, sive visibile caput. Alterum est §. 18.
quod statuit, *Christum, quatenus homo est, tantùm moraliter &*
meritoriè conferre gratiam. Quod verò non satis est. Quando-
quidem etiam ut homo *efficienter* gubernat Ecclesiâ, & pro-
inde gratiam confert. Quia ut homo, sedet ad dextram
Dei & gubernat Ecclesiâ: quod sine divinâ efficaci po-
tentiâ ac virtute non fit. Ut pluribus hac de
re suo loco.

SOLI DEO GLORIA.






AD RESPONDENTEM.

Per ne-negas, Antichristum venisse, Suita;
Et tamen hoc ipsum, nescius ipse, probas!
Ecclesie sponsus quis nã, dux, altor, & autor,
Et caput? Immanuel, rase Suita, meus.
Huncce caput siquidem sibi mystica membra re-
quirunt,
Protegat hic opus est, ducat alatq; suos.
Papa tuas Christo se apponere nititur, atq;
Oppositum verè se probat esse Dei:
Nonne vicarius, hic sicarius inquit, ego sum
Ætherei capitis, quod regit astra poli?
Papa, biceps monstrum quadricepsve Ecclesia
non est;
Non habet è Ponti-fecibus ipsa caput,
Nec te Pontificem desiderat: Huic via Christus
Cœlica: Nil opus est pontibus ergo tuis.
Cetera, quæ poterant hinc dici plurima, dices,
Engelbarde: Deus cœpta secundet! Amen.

Amicitia causâ lubens subjecit

Augustinus Lietzbainerus.

F I N I S.



AD RESPONDENTEM

Proterea quod hic dicitur, dicitur hoc quod
Papa tuus Christo se opponere videtur, et
Oppositum vult se probare esse Deum.
Nominis vicarius, hic vicarius inquit, ego sum.
Atque dei caput, quod regit ista terra.
Papa, vicarius nostrum quod dicitur Ecclesie
non est; sed vicarius ipsius caput.

Proterea quod hic dicitur, dicitur hoc quod
Papa tuus Christo se opponere videtur, et
Oppositum vult se probare esse Deum.

Nominis vicarius, hic vicarius inquit, ego sum.
Atque dei caput, quod regit ista terra.

Papa, vicarius nostrum quod dicitur Ecclesie
non est; sed vicarius ipsius caput.

Nec te Pontificem dicitur: Hinc via Christi
Cetera: Nilominus pontifex et go tua.

Cetera, que notanda hic dicitur, dicitur
angelus dei: Deus qui regit ista terra.

Maxime quod dicitur, dicitur hoc quod
A. dicitur caput, dicitur hoc quod

Proterea quod hic dicitur, dicitur hoc quod
Papa tuus Christo se opponere videtur, et
Oppositum vult se probare esse Deum.

Nominis vicarius, hic vicarius inquit, ego sum.
Atque dei caput, quod regit ista terra.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092



SB

Repro

VD 77







58

TERTII
Confessionem
XXIII.

S
CVLI VII.

lesia,

remo capite.

VVittebergensi,

I D E

TINI S.S.Th.

nario, Facult. Theol.

rcis Præposito,

ENTE

HARTO Guntzen-

nco.

legii Veteris

sept.

R G Æ,

HERBACH, Acad. Typogr.

C. XXX.

